



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. VI. De iniegritate Confessionis quoad numerum peccatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

semel comedit carnes, non peccat amplius, si iterum comedat cibos quadragesimales; quia cum non possit amplius jejunare, seu unicam confessionem facere, non tenetur amplius ad jejunium.

ARTICULUS VI.

De integritate Confessionis quoad numerum peccatorum.

- I. Quonam pacto singula peccata in confessione explicanda sunt?
- II. Quomodo explicandus est numerus peccatorum interiorum, quando nil certi, aut probabilis deprehendi potest?
- III. Quid, si post praemissum sufficiens examen fiat confessio, ac deinde distinctior peccatorum numerus aduertatur?
- IV. Undenam desumatur unitas, vel pluralitas peccatorum?
- V. Quomodo moraliter interrumpantur actus tum interni, tum externi?
- VI. Num sit multiplex peccatum plures confessiones audire successive, aut plures communicare in statu peccati mortalis?
- VII. Qui die Nativitatis Domini tres missas celebrat in mortali, tria sacrilegia committit.
- VIII. Non peccat die jejunii, qui absoluta caena cum animo non amplius comedendi, mutata voluntate, paulo post pergit comedere.
- IX. Probabiliter unum numero peccatum committit, qui uno actu decem homines occidit; quamvis in eo actu decem homicidii malitia contineantur.
- X. Univerſim ex multiplicitate numerica objectorum multiplicatur quidem numerice malitia in eodem actu, sed non multiplicatur numerus peccatorum in confessione explicandus.

XI. Qui ter fornicatus est, debetne explicare, num cum eadem persona, an cum tribus?

EX Trident. constat, non solum species peccatorum, sed etiam singula peccata in individuo esse in confessione explicanda; Nam sess. 14. can. 7. haec habentur: *Si quis dixerit, in Sacramento penitentiae necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, Anathema sit.* Et ratio est, quia in hoc Sacramento Confessarius Index est, & Medicus; ergo debent illi manifestari non solum species, sed etiam numerus peccatorum, ut possit apte judicare, & medicinam applicare; Nam, ut idem Trident. cap. 5. dicit: *Quod ignorat medicina non curat:* Certum autem est apud omnes, non requiri de singulis mortalibus in individuo & seorsim mentionem facere in confessione, sed satis esse, omnia uniuscujusque speciei in aliquo numero confiteri; dicendo, verbi gratia, decies pejeravi; Sic enim omnia, & singula peccata apte confitemur.

Quaritur nunc primo; Quomodo explicandus sit numerus peccatorum? Respondeo, quando quis scit numerum certum, debet illum explicare, dicendo, verbi gratia, decies blasphemavi; nec satis est dicere, blasphemavi pluries. Quod si facta morali diligentia, non possit assequi numerum certum, sed assequatur numerum aliquem, qui plus minulve parum creditur a certo numero distare, debet hoc pacto illum confiteri, dicendo, verbi gratia, blasphemavi decies circiter, ita ut si deinde certo deprehendat duodecies, verbi gratia, blasphemasse, non teneatur iterum numerum hunc certum confiteri, ut diximus quaest. 2. art. 3. cum de peccato dubio; ubi ostendimus, quantum habet latitudinem ly circiter.

Si demum, facta morali diligentia, neque numerus certus, neque probabilis, & parum distans a certo possit deprehendi, tunc juxta communem Doctorum satis est confiteri consuetudinem peccandi, & modum frequentia, quantum fieri potest, per dies, vel hebdomadas, dicendo, verbi gratia, decies circiter singulis diebus, aut hebdomadis per tot menses blasphemavi. Advertit tamen Vasq. quaest. 98. art. primo dub. 3. peccatores habituales non esse cogendos ad explicandum numerum per dies, vel hebdomadas circa actus internos, cum difficile sit eorum numerum probabilem aperire; Ac proinde si interrogentur, exponuntur periculo errandi circa numerum, vel per excessum, vel per defectum bene magnum; Praefertim si sint rustici: Quare satis est, si dicant tempus, quo vixerunt in eo statu, species praecipuas peccatorum, & numerum probabilem actuum externorum per dies, vel hebdomadas, quia actus externi facilius in mentem veniunt: Verbi gratia, meretrices satisfaciunt suae obligationi, explicando non tempus solum, quo perseverarunt in tali statu, & consuetudinem peccandi, (ut quidam voluerunt) sed etiam modum frequentiae circa actus externos; Alia enim frequentia est in magna civitate, ita ut pluries quotidie, alia in oppidulo, ita ut vix semel in hebdomada meretrices peccent peccato externo: Explicare etiam debent numerum certarum specierum, quae raro occurrunt, & facile in memoriam veniunt; ut quoties cum consanguineis peccarint, vel cum habentibus votum castitatis, vel cum conjugatis, vel contra naturam, vel extra vas.

II. Circa actus vero internos satis est, si juxta sententiam Vasq. dicant species peccatorum, & tempus, quo in iis ut plurimum peccarunt; Nisi

aliquando extraordinaria quaedam frequentia esset explicanda.

Idem dicas de Concubinariis, qui vel domi, vel alibi habent concubinas, ad quas saepe tamquam ad uxores accedunt: Debent enim explicare, an quotidie, an semel in hebdomada cum iis peccarint; quia actus externi facile ad certum, aut probabilem numerum reduci possunt. Idem dicendum de iis, qui passim loquuntur de turpibus cum peccato mortali; necnon de iis, qui passim concupiscunt foeminas, aut pueros sibi obvios, aut morose de iis delectantur: Quamvis in his peccatis, non secus ac in internis, difficile sit aliquando numerum probabilem invenire; unde in tali casu satis etiam est explicare tempus, & species praecipuas peccatorum, ut advertit Tambur. lib. 1. cap. 1. §. 7. ex Lug. disp. 26. num. 375.

Idem demum dicas de iis, qui ex consuetudine blasphemant, detrahunt, pejerant, surantur, &c. Isti enim explicare debent, quantum possunt, numerum furtorum gravium, & advertere quam restitutionem facere debeant.

III. Ubi bene notat Lug., & Tambur., quod si peracta sic confessione, occurrat menti species aliqua peccati non explicata, debeat deinde in alia confessione explicari: Contra vero, si occurrat menti numerus magis distinctus peccatorum, non oportet iterum illum confiteri, quia satis explicatus est sub ea confusa explicacione, quam potuit tunc facere poenitens. Haec enim est praxis fidelium.

IV. Quaeritur secundo; unde defumat unitas, vel pluralitas numerica peccatorum?

Respondeo, quaestionem procedere tam de actu interno, puta de iudicio temerario, delectatione morosa, desiderio turpi, &c., quam de actu externo imperato ab interno, puta de

de occisione, detractioe, blasphemia, fornicatione, &c. De utroque seorsim dicendum.

V. Circa actus internos dico, multiplicari numero per interruptionem non physicam, sed moralem, juxta ea, quæ diximus art. super., & late explicat Tambur. lib. 2. cap. 1. §. 5.; ubi advertit, quod quando quis, verbi gratia, odio habuit inimicum, aut concupivit puellam pluribus actibus, dupliciter id contingere possit: Vel enim eodem impetu plures hujusmodi actus brevi intervallo inter se distantes elicit; & quia hi actus sunt moraliter unus actus, ideo satis est in confessione dicere, semel odio habui inimicum, &c.; Vel hujusmodi actus habent talem interruptionem, ut non ab eodem impetu procedant, & quamvis sint moraliter plures numero isti actus, tamen quia difficile est assequi certum, aut probabilem numerum talium interruptionum; ideo satis est dicere, Per mensem, verbi gratia, vel per annum odio habui inimicum, concupivi puellam, &c.; sic enim explicantur interruptiones, quæ humano modo solent accidere. Advertit tamen Con., explicandum esse, si vel frequentia, vel raritas interruptionum fuerit notabilis. Hoc autem admittit Tambur., quando, verbi gratia, quis per mensem odio haberet inimicum cum interruptionibus humano modo solitis accidere, & deinde per annum, verbi gratia, a tali odio quiesceret, tunc enim odium illius mensis, & hoc odium præsens distincte essent explicanda.

VI. Circa actus externos dico esse unum moraliter; Primo, si eodem veluti impetu procedant, nec moraliter existimentur plures; propterea, si quis uno impetu passionis pluries aliquem percutiat, pluries pejeret, aut detrahat, unum peccatum committit: Immo si quis Con-

fessarius audiat in mortali plures confessiones successive, ex Lug. disp. 16. de Pœnit. num. 558., & Rodriq. contra quamplures, unum mortale committit. Unde satis est dicere, Audi vi semel plures confessiones in statu peccati mortalis; Admittunt pariter communius, quod unum mortale committatur ab eo, qui in mortali plures communicat: Immo nonnulli, quibus non astipulor, putant, non esse mortale ministrare Eucharistiam in statu peccati mortalis, quia ministrans Eucharistiam non conficit Sacramentum, nec immediate gratiam confert, sed solum applicat Sacramentum collativum gratiæ.

Secundo, plures actus externi sunt unum peccatum moraliter, si ordinentur ad eundem finem, ut parare arma, equum conscendere, &c., ad occidendum inimicum; Sic tactus, & oscula præcedentia copulam. Immo etiam juxta probabilem sententiam, si copulam consequantur.

Notandum tamen hic primo, quod si peccator finem intentum consequatur, sufficienter explicat omnes actus externos prævios explicando finem intentum, Verbi gratia, copulam consequutam: Contra tamen explicari debent actus externi positi ad malum finem, quando finis non obtinetur: Et enim actus externi, qui immediate pendunt ab internis, sunt in confessione explicandi, etiam si non addant novam malitiam supra actus internos, ut omnes Doctores docent ex præxi Ecclesiæ.

Notandum secundo, media ad finem intentum vel esse indifferentia, ut parare arma ad occidendum hostem, vel esse mala ejusdem speciei cum fine, ut tactus relate ad copulam, vel esse mala diversæ speciei, ut consulere magos ad adulterandum per tertiam personam, tentare puellam, &c.; Si sint diversæ speciei, pro-

procul dubio sunt explicanda in Confessione, siue finis sit obtentus, siue non; Si vero sint indifferentia, aut mala ejusdem speciei, tunc satis est explicare peccatum consummatum; Quod si finis non sit obtentus, oportet explicare ea media, siue indifferentia, siue mala, posita esse ad finem peccaminosum obtinendum; quia illæ actiones externæ informantur a malitia finis.

Notandum ultimo, quod si quis per annum, verbi gratia, meditatus est puellam cognoscere, hostem occidere, &c., non solum debet peccatum consummatum explicare, sed præterea debet dicere, se per annum fuisse cum ea mala intentione; Nam cum eo anno pluries moraliter interrumpit actum prævium internum, sic dicendo explicat eo modo, quò potest, numerum actuum internorum: Tunc autem satis est in dicto casu solum confiteri peccatum externum, quando procedit ab uno moraliter peccato interno, etiamsi per multum temporis duraverit talis actus internus, nullatenus moraliter interruptus.

VII. Ex dictis sequitur primo, quod si Sacerdos celebret in mortali tres missas in die Nativitatis, tria peccata committat: Contra vero, si aliquando post suam communionem communicet populum per duas horas, & deinde sumat reliquas particulas, unum peccatum committit sumendo Sacram Synaxim sacrilege, licet major distantia temporis intercedat inter communionem, quam fecit in Missa, & communionem particularum, quas sumpsit post communionem populi, quam inter unam, & alteram missam die Nativitatis. Ratio est, quia missæ die Nativitatis celebratæ non sunt actiones subordinatæ, nec faciunt unum moraliter: Contra vero communicatio in missa, &

sumptio particularum post communionem populi.

VIII. Sequitur secundo, quod sicut die jejunii non peccat, qui comedit paulo post finem cœnæ, (etiamsi cessaverit comedere cum animo non amplius comedendi) propter unitatem moralem comestionis; Ita si quis comederit carnes, & paulo post iterum illas comedat die jejunii, unum peccatum committit, propter unitatem pariter moralem operis: Et eodem modo unum peccatum committit, qui progreditur ad occidendum inimicum, etiamsi iter arreptum pluries brevi intervallo interrumpat, & animum occidendi pluries suspendat: Non tamen si hujusmodi actus interrumpantur per actum contrarium.

IX. Quæritur ultimo; An ex pluralitate numerica objectorum multiplicetur numero malitia in eodem numero actu siue interno, siue externo; Et an ea explicanda sit in confessione? Exempli gratia, si quis uno ictu occidit decem homines, debetne confiteri, quod commiserit decem homicidia, an quod uno ictu decem occiderit? An satis est dicere, Uno ictu occidi plures homines? Et quid, si diceret, commisi homicidium? Item quæritur, si quis unico actu desideret occidere decem, vel habere copulam cum tribus fœminis ejusdem rationis; vel si scandalum det decem personis; vel si unico furto, vel unica detractione læserit, verbi gratia, centum homines.

Respondeo, actum, quo quis occidit decem homines, continere decem malitias decem homicidiorum, juxta sententiam Vasq. quæst. 91. ar. 1. dub. 47.; sicut duas specie malitias continet actus, quo quis, verbi gratia, occidit Sacerdotem, alteram homicidii, alteram Sacrilegii. At juxta sententiam Suar. disp. 22. sect. 5., Lug. disp. 16. a num. 27. unica est

numero malitia in actu, quo quis decem homines occidit, quia quamvis plura objecta solo numero diversa possint seorsim sumpta refundere in actus humanos malitias numero diversas; cum tamen simul sumpta ab eodem actu respiciuntur, concurrunt per modum unius objecti ad eandem numero malitiam.

Equidem ab hac quaestione speculativa praescindo, & dico cum Tambur. lib. 1. cap. 1. §. 2., Perez, & Leand. apud Dian. p. 9. tr. 9. ref. 55., quod si plures numero malitiae in his actibus contineantur, siue una tantum, veluti magis extensa, nequaquam obligemur pluralitatem talium malitiarum in eodem actu inclusarum explicare in confessione. Ratio est, quia ex Trident. solum obligamur confiteri malitias specie diversas, & numerum peccatorum, non vero numerum malitiarum in eodem actu contentarum. Et confirmatur, quia sicuti qui furatur centum aureos, committit peccatum, quod continet malitias centum furtorum gravium unius aurei; & tamen quia est unum peccatum, & unus actus, satis est in confessione dicere, Furatus sum materiam gravem: Ita quando quis uno ictu occidit decem homines, licet hic actus contineat malitias decem homicidiorum, quia tamen est unum peccatum, & unus actus, satis est in confessione dicere, Plures uno ictu occidi, siue fuerint duo, siue decem, siue centum.

Non satis est autem dicere, Feci homicidium, quia sic non explicatur peccatum commissum, quo plures interfecti sunt; Etenim per illa verba fit sensus, quod unum tantum hominem occideris: Sicut nec bene exponitur hoc peccatum, dicendo, Commisi decem homicidia; quia fieret sensus, quod per decem diversos actus ea commiseris.

X. Idem dicendum in similibus casibus in quaestio expositis; Quare satis est in confessione dicere, Desideravi copulam cum pluribus; (modo sint ejusdem generis) Detraxi cuidam familiae, non explicando numerum personarum; Fui occasio multis peccandi meo malo exemplo; Furatus sum a quadam communitate, &c., quando scilicet haec peccata unico actu committuntur. Immo in materia de furto satis est dicere, Furatus sum rem alienam; quia attenditur solum, quod injuste abstuleris, non a quo abstuleris, ut docet Lug. num. 136. juxta communem praxim.

XI. Et probabile etiam est ex Dian., fornicantem cum tribus satisfacere, si dicat in confessione, Tet fornicatus sum, non explicando, numerum eadem, an cum diversis; quando non datur ratio specialis novi scandali.

ARTICULUS VII.

De causis excusantibus ab integritate materiali Confessionis.

- I. *Ex parte patientis quanam causa excuset a materiali integritate Confessionis?*
- II. *Quanam vero ex parte Confessarii?*
- III. *Num cessantibus deinde hisce causis excusantibus, teneatur patientis statim integre confiteri?*
- IV. *Non requiritur in confessione contritio, quando ex causa dimidiatur.*
- V. *Probabilius licitum est revelare complicem, quando aliter peccatum exponi non potest: sicut etiam personam, qua est objectum proprii peccati.*
- VI. *Qui habet reservata simul, & non reservata, non potest sine gravi causa sacramentaliter absolvi a solis*
re.